Brakman, Cornelius
Miscella.
Vol.2.

MISCELLA ALTERA

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.[F].

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD E. J. BRILL.
MCMXIII.

MISCELLA ALTERA

Vol. 2

SCRIPSIT

C. BRAKMAN J.r.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD E. J. BRILL.
MCMXIII.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

μὴ νῦν ἓν ἦθος μοῦνον ἐν σαυτῷ φόρει,
ὡς φῂς σύ, κοὐδὲν ἄλλο, τοῦτ᾽ ὀρθῶς ἔχειν.
Soph. Antig. 705 sq.

PRAEFATIO.

Nemo est omnium virorum, qui his annis Arnobio operam dederunt, quin idoneam editionem desideraverit, nam Vindobonensis non iam potest sufficere. Interdum enim Reifferscheid parum felix fuit in lacunis supplendis, saepius vero traditam lectionem immerito in suspicionem vocavit atque adeo mutavit audacter, imprimis autem pessima est distinctio. Iam vero auctores, quos Arnobius imitatus est aut loci, quos cum Arnobianis conferri oportet, non nisi raro citantur. Praeterea compluribus locis integra verba hodie inventa aut certe satis probabilia sunt proposita, verum in commentario critico a Reifferscheidio confecto non ita paucae coniecturae sunt commemoratae, quae clausula redarguuntur vel peccant in Arnobii genere dicendi: utrumque enim tandem diligentius investigatum est. Itaque nobis opus est, ut apertius exemplis afferendis loquar, editione, quae, si fieri potest, par erit editionibus Apulei, Minucii Felicis, Firmici Materni operum scholiorumve in Ciceronis orationes non ita pridem curatis. Laudandi sunt igitur philologi, qui per haec tria decennia libris, qui inscribuntur Adversus Nationes, accuratissime lectis multa nova invenerunt atque obscura explanaverunt. Cum iam ante annum conatus sim viginti quinque locos emendare, non inutile duxi iterum totidem fere coniecturas additis observationibus grammaticis et locis similibus publici facere iuris. Excipiuntur autem Arnobiana Firmicianis, ut ostendatur me valde gaudere editionem Matheseos Librorum nunc absolutam esse. Cetera quoque capita pertinentia ad Quintilianum, Frontonem, Gellium, Iustinum, Minucium Felicem declarent, quantae mihi curae sint litterae Latinae!

Hagae Comitis
mense Septembri anni MCMXIII.

C. Brakman J.F.

CAP. I.

Quintilianea.

Quintilianus legentes ne mimicos faciant epilogos monens cum alia scribit tum haec

VI 1, 48 (edit. Raderm.) neque illum (sc. probaverim), qui, cum esset cruentus gladius ab accusatore prolatus, quo is hominem probabat occisum, subito ex subselliis ut territus fugit et capite ex parte velato, cum ad agendum ⟨*excitus*⟩ ex turba prospexisset, interrogavit, an iam ille cum gladio recessisset? fecit enim risum, sed ridiculus fuit.

Excitus substitui participio *vocatus,* inserto a Schenklio et Radermachero, motus hisce Quintiliani verbis XI 2, 12 Nam cum esset grande convivium in honorem eiusdem victoriae atque adhibitus ei coenae Simonides: nuntio est *excitus,* quod eum duo iuvenes equis advecti desiderare maiorem in modum dicebantur.

Scriba nimirum deceptus praepositione *ex* praetermisit participium ab iisdem litteris incipiens.

Rhetor agens de ridiculo haec docet

VI 3, 25 facto risus conciliatur interim admixta gravitate, ut M. Caelius praetor, cum sellam eius curulem consul Isauricus fregisset, alteram posuit loris intentam, dicebatur autem consul a patre flagris aliquando caesus: interim sine respectu pudoris, ut in illa puxide Caeliana, quod neque oratori neque ulli viro gravi conveniat. § 26 idem autem de vultu gestuque ridiculo dictum sit: in quibus est quidem gratia, sed maior, cum captare risum non videntur; nihil enim est his, quae † *dicenti* salsa dicuntur, insulsius.

Nonne flagitat contextus verborum: quae *licentius* salsa dicuntur?

Cf. VIII 3, 37 Et, si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remediis praemuniendum est: Ut ita dicam, Si licet dicere, Quodammodo, Permittite mihi sic uti. Quod idem etiam in iis, quae *licentius* translata erunt, proderit: XII 10, 50 petitas vel paulo *licentius* voluptates cet.

E permultis de pronuntiatione praeceptis a Quintiliano traditis citandum est hoc:

XI 3, 106 Optime autem manus a sinistra parte incipit, in dextra deponit, sed ut ponere non ut ferire videatur; quanquam et in fine interim cadit, ut cito tamen redeat, et nonnunquam resilit vel negantibus nobis vel admirantibus.

Huc veteres artifices illud recte adiecerunt, ut manus cum sensu et inciperet et deponeretur.

Quamquam Bonnell recepit *hic*, equidem postulo *huc* coll. XII 10, 40 Ad hoc quidam nullam esse naturalem putant eloqentiam, nisi quae sit cotidiano sermoni simillima, quo cum amicis, coniugibus, liberis, servis loquamur, contento promere animi voluntatem nihilque et arcessiti et elaborati requirente; quidquid *huc sit adiectum*, id esse affectionis et ambitiosae in loquendo iactantiae e. q. s. Praeterea legentes admoneo notissimorum Niobae verborum (Ovid. Met. VI 182 sq.)

huc natas *adice* septem
et totidem iuvenes, et mox generosque nurusque.

QUAE RATIO INTERCEDAT INTER QUINTILIANUM ET FRONTONEM.

Exstant aliquot loci in Epistulis Frontonianis, quibus similitudo quaedam aut verborum aut rerum est cum locis in Quintiliani Institutione oratoria obviis. Afferendi sunt autem:

I 1, 8 nihil est peius iis, qui paulum aliquid ultra primas litteras progressi falsam sibi scientiae persuasionem induerunt.

ad M. Caes. et inv. IV 3 (pag. 61, 23 sqq.) Omnium artium, ut ego arbitror, imperitum et indoctum omnino esse praestat quam saemiperitum ac semidoctum.

III 7, 28 nam et somni . . . scriptae laudes	De Feriis Als. Ep. III (pag. 228, 3 sqq.) Ne ego Somni laudem ex summis opibus conscripsissem. Nunc quoque, si tibi fabulam brevem libenti est audire, audi e. q. s.
VIII 6, 55 Et laudis autem simulatione detrahere et vituperationis laudare, concessum est.	III 17 (scripsit M. Caesar ad Front. pag. 55, 9 sqq.) Intellego istam tuam argutissimam strofam, quam tu quidem benignissime repperisti; ut quia laudando me fidem propter egregium erga me amorem tuum non habebas, vituperando laudi fidem quaereres.
X 1, 128 Cuius (sc. Senecae) et multae alioqui et magnae virtutes fuerunt, ingenium facile et copiosum . . . . § 129 Multae in eo claraeque sententiae multa etiam morum gratia legenda; sed in eloquendo corrupta pleraque atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis.	Epist. ad M. Anton. de orat. pag. 155, 19 sqq. Confusam eam ego eloquentiam . . . partim igneis nucibus Catonis, partim Senecae mollibus et febriculosis prunuleis insitam, subvertendam censeo radicitus . . . Neque ignoro copiosum sententiis et redundantem hominem esse: verum sententias eius tolutares video nusquam quadripedo concito cursu tenere, nusquam pugnare nusquam maiestatem studere . . . .
XII 1,1—45 vir bonus dicendi peritus; I 2, 3; II, 15 1 cet. (cf. quae laudavi Frontonian. pag. 10).	ad Ver. Imp. II 1 (pag. 121, 20 sq.) habes fratrem fortem, virum bonum dicendi peritum. (cf. pag. 59, 8 sq.).
XII 2, 4 qui litteras vel primis, ut aiunt, labris degustarit. (Cic. de nat. deor. I 8, 20; Sen. Ep. 30, 14).	ad Ver. Imp. II 1 (pag. 156, 13 sqq.) alter autem oleas suas in altum iaciat, ore aperto excipiat, exceptas . . . . primoribus labris ostentet?
XII 10, 58 Namque unum	ad Caes. et inv. III 16 pag.

subtile (sc. genus), quod ἰσχνὸν vocant, alterum grande atque robustum, quod ἁδρὸν dicunt, constituunt; tertium alii medium ex duobus . . . . addiderunt . . . .

54, 10 sq. Denique cum aeque tres quasi formulae sint orationis, ἰσχνόν, μέσον, ἁδρόν, e. q. s.

Denique Quintilianus de genere dicendi acturus (XII 10) comparationem instituit eloquentiae cum pictura et sculptura, propriam autem artem singulorum pictorum describit § 3—6, sculptorum deinde § 7—10, post oratorum ingenia adumbrat. Sane valde memorabile est Frontonem easdem res eadem fere via atque ratione exponere in Epist. I ad Verum (pag. 113—114), facile vero intellegimus hunc pro sua ubertate dicendi poetas, historicos, philosophos non omittere.

Quibus locis similibus perspectis contendimus Frontonem nonnullas certe res et verba e Quintiliani Institutione oratoria hausisse atque in suum usum vertisse.

CAP. II.

Frontoniana.

Fronto consul Marcum Aurelium discipulum hortatur, ut si quid in coetu hominum recitaturus sit, populi auribus studeat servire. In quam sententiam magister cum alia scribit tum haec (ad M. Caes. et invic. I 8 Nab. pag. 21, 17 sqq.) Hic summa illa virtus oratoris atque ardua est, ut non magno detrimento rectae eloquentiae auditores oblectet; eaque delenimenta quae mulcendis volgi auribus conparat, ne cum multo ac magno dedecore fucata sint: potius ut in conpositionis structuraeque mollitia sit delictum quam in sententia inpudenti. Vestem quoque lanarum mollitia delicatam esse ⟨*praestat*⟩ quam colore muliebri, filo tenui aut serico e. q. s.

Inserui *praestat* commotus imprimis hoc exemplo (ad M. Caes. et invic. IV 3 Nab. 61, 23 sq.) Omnium artium, ut ego arbitror, imperitum et indoctum omnino esse *praestat* quam saemiperitum ac semidoctum. Confer etiam haec verba desumpta ex Princ. Hist. (Nab. 209, 10 sqq.) longeque *praestat* secundo gentium rumore iniuriam neglegere quam adverso vindicare.

Extrema epistula tertia libri tertii, quam ad M. Aurelium Fronto dedit, in palimpsesto sic fere se habet (Nab. 43, 3 sqq.)

Vale Caesar et me ut
facis ama plurimum.
Ego vero etiam litte-
rulas tuas *dis . amo* qua-
re cupiam ubi quid ad
me scribes, tua manu
scribas.

Pro *dis . amo* coniecit *dissuavio* Haupt fortasse motus Q. Ciceronis verbis (ad fam. XVI 27, 2) Ego vos a. d. III K. videbo

tuosque oculos (sc. Tironis), etiamsi te veniens in medio foro videro, *dissaviabor*. An fuit primaria lectio *diu savior*[1]? Utrumcumque eliges, aliquatenus certe poteris comparare locum Gellianum II 26, 20 Postquam haec Fronto dixit, tum Favorinus scientiam rerum uberem verborumque eius elegantiam *exosculatus*: „absque te", inquit, „uno forsitan lingua profecto Graeca longe anteisset e. q. s. Favent autem meae coniecturae Apul. Met. II 28 huius *diu* manus deosculatus; ibid. II 26 multumque ac *diu* deosculata (sc. uxor corpus) cet.

Prior pars epistulae primae libri quarti a Frontone ad Caesarem discipulum missae interiit, sed res ipsa docet facile duo vocabula addi posse eis, quae nunc in editione nostra leguntur (Nab. 58, 15 sq.) ⟨*Orpheum oves*⟩ et columbae cum lupis et aquilis cantantem sequebantur inmemores insidiarum et unguium et dentium. — In margine utique vox, quae est *Orpheus*, exarata est.

Fronto Caesari gratulari incipit ab hisce verbis (ad M. Caes. et invic. V 37 (Nab. 88, 22 sqq.) Plurimos natales dies liberum tuorum prosperis tuis rebus ut celebres, parentibus *probatus*, populo *acceptus*, amicis *probatus*, fortuna et genere et loco tuo dignus, omni vita mea redemisse cupiam e. q. s.

Reponendo: amicis *gratus* ipsius auctoris manum restituere posse mihi videor, commendatur enim hoc adiectivum his exemplis (ad Anton. Imp. et invic. I 2 Nab. 95, 15 sqq.) Video te, Antonine, Principem tam egregium, quam speravi . . . . . tam *gratum* populo romano et acceptum, quam optavi; (Nab. 215, 14 sqq.) Hisce argumentis neglegentia bono genere nata, dis *accepta*, sapientibus *probata* . . . . . *grata*que bene factis; (Nab. 219, 14) Rex *gratum acceptum*que habuit (sc. anulum) cet.

Prior laterculus cod. Vat. p. 158 nisi fallor sic incipit (ad Anton. Imp. et invic. II 6 Nab. 107, 20 sq.)

---

1) Saepissime Fronto utitur *saviandi* verbo e. g. (Nab. 98, 17 sq.) eius etiam nevolos *saviatur;* (182, 8) lingua lambere ubam aut labris *saviari;* (86, 2 sq.) numquam mihi tam suavis tamque *saviata* visa est; cet.

gravitatem [1]) historiae
aptam neq. illam mode-
rationem orationi ac-
commodatam.

Quocirca paulo diligentius quam Naberus edideris: ⟨*neque gravi*⟩*tatem* historiae aptam neque illam moderationem orationi accommodatam.

Satis habeo conferre haec verba (Nab. 146, 8 sqq.) Discere te autem ceratinas et soritas et pseudomenus, verba contorta et fidicularia, neglegere vero cultum orationis et *gravitatem* et maiestātem et gratiam et nitorem, hoc indicat loqui te quam eloqui malle.

Hauler, a quo tam multa nova in paginis obscuratissimis admirabili oculorum acie singularique perseverantia inventa esse scimus, ait se legisse [2])

(ad Verum Imp. II 1 Nab. 120, 18 sqq.) Bellicae igitur tuae laudis et adoriae multos habes administros, multaque armatorum milia undique gentium accita victoriam tibi adnituntur et adiubant: *eloquentiae virtus* ausim dicere meo ductu, Caesar, meoque auspicio *parta* est.

Ingenue fateor me aestate anni 1902. hunc locum tractantem putasse codicem exhibere: *eloquentia hercle* e. q. s. *Hercle,* quod Gellius in deliciis habet, a Frontone adhibetur Nab. 64, 22 cet. Marcus Aurelius usurpat *hercule* (Nab. 253, 20), at Antoninus Pius *mehercule* (Nab. 164, 12) vel *mehercules* (Nab. 167, 12) cet.

Haec ideo profero quod fieri potest, ut Hauler — id quod spero — in pagina fortasse purificata [3]) nunc investigaverit unice veram lectionem.

Paulo infra in eadem epistula legimus (Nab. 121, 22 sqq.) Qum maxime haec ego mecum agitabam, qum orationi tuae successit Antonini oratio, di boni! quam pulchra! quam vera multa! plane dicta omnia et verba delenifica, pietate et fide et amore et desiderio dilibuta! Quid *agerem tum* inter duos ambos meos? petitoremne an unde peteretur, magis laudarem? Anto-

1) Antea perperam supplevi *facultatem.*
2) Wien. Stud. XXVI (1904) 344.
3) Cf. Neues aus dem Frontopalimpsest 5 sq. (= Wien. Stud. XXXI (1909) 261 sq.

ninus erat quom imperio obsequens; tu autem, Luci, cum obsequio eras prae amore imperiosus.

Iniuria editor Maium secutus recepit *agerem tum*, quae duo vocabula spatium non capit neque vestigia respondent, nam sic in altero laterculo cod. Vat. pag. 13 scriptum invenimus:

Omnia et verba dele-
nifica pietate et fide et
amore et desiderio
dilibuta *quid ver.*
inter duos ambos meos —

Verisimillimum ergo est rhetorem dixisse *Quid vero inter duos ambos meos*? Quod ut probem legentibus, laudandum est similis ellipsis exemplum (Nab. 156, 10 sqq.): *Quid vero* si prandium idem utriusque apponatur, adpositas oleas alter digitis prendat, ad os adferat, ut manducandi ius fasque est ita dentibus subiciat; alter autem oleas suas in altum iaciat, ore aperto excipiat, exceptas, ut calculos praestigiator, primoribus labris ostentet?

In quarta epistula de Eloquentia Fronto agit de Sallustii verbis (Bell. Catil. XIV 2) *quique* [1]) *manu, ventre, pene bona patria laceraverat* ad hunc modum

(Nab. 153, 24 sqq.) Vides quantum similitudine verborum formae adsecutus sit, ut verbum postremum, quamquam parum pudicum, non indecorum esse videatur: ideo scilicet quod ⟨*duo*⟩ verba similia praecedant. Quod si ita haec verba contra dixisset: quique pene bona patria laceraverat, indita obscenitas verbis appareret.

Spatium vacuum vocem a me insertam facile capit.

Hauler (cf. Sert. Hartel. pag. 263 sqq.) extricavit extremam codicis paginam 252. et totam 251. Illam autem ait terminari hisce verbis (Nab. 205, 20 sq.) ⟨*vitupera?*⟩*tores triumphos emeritis*, quae excipiuntur *viris legatis invidisset*. Verum haud scio [2])

---

1) Editiones vulgo exhibent: nam *quicumque* inpudicus adulter ganeo manu ventre pene bona patria laceraverat e. q. s.

2) Compluribus locis mihi videor aptiora verba supplere posse quam proposita sunt a Maio et Nabero, sed fortasse praestat exspectare editionem novam ab Haulero nobis iterum (Wien. Stud. 1912 pag. 258) promissam et ab omnibus viris doctis maxime desideratam.

an voci, quae est *vituperatores,* substituendum sit *optrectatores,* cum Fronto in eadem disputatiuncula utatur substantivo *optrectationibus* (Nab. 210, 5).

In fabula de Somno (cf. de Feriis Alsiensibus Epist. III) auctor narrat primo Iovem animum induxisse ut Neptunum aut Plutonem nocti atque otio hominum praeficeret. Quae tamen facti sint, cum fratres munus a germano sibi oblatum recusassent, Fronto sic incipit exponere

(Nab. 229. 1 sqq.) Tum Iovem deos alios percontatum animadvertisse, gratiam vigiliae aliquantum pollere: Iunonem plerosque partus nocturnos ciere; Minervam artium atque artificum magistram multum vigilari velle; Martem nocturnas eruptiones et insidias *mutare* iuvare; Venerem vero et Liberum multo maxime pernoctantibus favere.

Mutare permulti viri docti sollicitaverunt, mihi verum videtur: Martem nocturnas eruptiones et insidias *muta re* (i. e. silentio) iuvare.

Utile videtur coniecturis supra prolatis has paucas ὁμοιότητας subiungere, quae quod sciam ab aliis nondum commemoratae sunt.

ad M. Caes. et invic. I 2, Nab. 5, 1 valeat semper integro inlibato incolumi corpore [1]. Simillimum est Apul. Met. II 24 „ecce", inquit, „nasus integer, incolumes oculi, salvae aures, inlibatae labiae, mentum solidum.	Gell. VI 18, 7 (Parentes) dicebant statum eorum (sc. captivorum) integrum incolumemque esse. Ibid. XV 31, 4 imagine quoque illa (sc. Ialysi Protogenis manu facta) integra et incolumi per victoriam potieris. Sidon. Apoll. VII 5, 4 omnia censurae tuae salva inlibata solida servantur [2].
Ibid. II 1, Nab. 25, 16 sq. ut tecum agere debeo sine fuco et sine ambagibus.	Cic. ad Attic. I 1, 1 Sine fuco ac fallaciis more maiorum negatur.

1) Waltzing (Octavius de M. Minucius Felix (1909) Comment. pag. 92) comparat Min. Fel. XV 1 cum Octavius integra et inlibata habeat singula, si potest, refutare.

2) Cf. Arnob. VII 24 sed si magnificum videtur atque amplum iugulare diis tauros, si inlibata, si solida concremari animantium viscera, c. q. s.

Ibid. III 15, Nab. 52, 16 princeps ille sapientiae simul atque eloquentiae Socrates.

Min. Fel. XIII 1 Socraten, sapientiae principem, ... si potuerit, imitetur.

Vell. Pat. II 22, 3 M. Antonius, princeps civitatis atque eloquentiae e. q. s.

Ibid. IV 1, Nab. 59, 8 sq. ante pubertatem vir bonus; ante togam virilem dicendi peritus (cf. ad Ver. Imp. II 1, Nab. 121, 20 sq. habes fratrem fortem, virum bonum dicendi peritum).

Senec. Controv. I praef. 9 orator est, Marce fili, vir bonus dicendi peritus; Cat. fragm. Iord. pag. 80; Apul. Apolog. 94; Quintil. Inst. or. I Prooem. § 9; I 2, 3; II 15, 1 imprimis autem XII 1 § 1—45.

Ibid. IV 3, Nab. 63, 2 (M. Tullius), qui caput atque fons [1]) romanae facundiae cluet.

Gell. XI 3, 3 nam varietatem istam eiusdem quidem fontis et capitis, non eiusdem tamen esse finis putabam.

Iustin. XIII 6, 11 Quibusdam placebat bellum in Macedoniam transferri, ad ipsum fontem et caput regni.

Ibid. IV 5, Nab. 68, 7 fortia facinora fecimus.

Gell. V 2, 4 facinora faciens (sc. Alexander) fortia; cet.

ad Anton. Pium III, Nab. 164, 19 Sed quoniam suum cuiusque ingenium vitam gubernat e. q. s.

Sall. Bell. Iug I 3 Sed dux atque imperator vitae mortalium animus est.

Menand. Epitr. 553 sq. Koerte² pag. 40 *ἑκάστῳ τὸν τρόπον συνῴκισαν* (scil. *οἱ θεοί*) | *Φρούραρχον ἔνδον.* Ibid. vs. 556 *οὗτος* (sc. *ὁ τρόπος*) *ἔσθ' ἡμῖν θεός,* | *ὅ τ' αἴτιος καὶ τοῦ καλῶς καὶ τοῦ κακῶς* | *πράττειν ἑκάστῳ.*

ad Amic. I 4, Nab. 176, 16 (est) Aquilinus eiusmodi vir, ut

Sidon. Apoll. IV 4, 1 Faustinus, pater familias domi nobilis

1) Cf. etiam Arnob. II 45 tunc deinde oblitae (sc. animae) unius esse se fontis, unius genitoris et capitis, germanitatis convellerent atque abrumperent iura e. q. s.

in tui ornamentis aeque ac nostri merito numerandus sit.

et inter maxima patriae iam mihi sibique communis ornamenta numerandus.

Princ. Hist. Nab. 208, 15 sq. dum oblatam pacem spernit barbarus, male mulcatus est.

Phaedr. I 3, 9 Male mulcatus graculus Redire maerens coepit ad proprium genus.

Laud. fum. et pulv. Nab. 212, 9 parvaeque res magnis adsimulandae comparandaeque.

Cic. Brut. § 213 ut conferamus parva magnis; cf. Verg. Ecl. I 23; Georg. IV 176.

De Nep. amiss. Nab. 233, 22 sqq. Quodsi mors gratulanda potius est hominibus quam lamentanda, quanto quisque eam natu minor adeptus est, tanto beatior et deis acceptior existimandus est.

Plaut. Bacch. 816 sq. Quem di diligunt, Adulescens moritur, dum valet, sentit, sapit.

Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.

Ex locutionibus verbisque quae Gellius ex Frontonianis epistulis desumpsisse videtur afferenda sunt:

insuper habere Front. Nab. 65, 13; 207, 9; Gell. I 19, 2; IV 1, 18; Apul. Met. IV 25.

omnes universi Front. Nab. 127, 16; Gell. XIX 12, 1.

opicus Front. Nab. 25, 1; 31, 11; 44, 22; Gell. II 21, 4 (cf. XIII 9, 4) Sid. Apoll. Ep. VIII 3, 1.

Plerique omnes, quod exhibent Front. Nab. 183, 9; Gell. IV 17, 14; XVII 5, 4 cet., fortasse haustum est ex Terentii fabulis (cf. Andr. I 1, 28 cet.).

De ratione inter Quintilianum et Frontonem intercedente cf. Quintilian. pag. 2 sqq. Vide praeterea, quae observavi pag. 15 annot. 1.

CAP. III.

Gelliana.

Gellius III 3, 5 servavit fragmentum Plauti fabulae, cui Boeotia titulus est, cuius priores versus exscribendi sunt

> ut illum di perdant, primus qui horas repperit,
> quique adeo primus statuit hic solarium!
> qui mihi comminuit misero articulatim diem.
> nam † *me* puero venter erat solarium
> multo omnium istorum optimum et verissimum:
> ubivis monebat esse, nisi cum nihil erat.

Ut metrum turbatum vs. 4 restitueretur, coniecerunt Hertz ⟨*unum*⟩ me, Ritschl ⟨*olim*⟩ me, Bentley *puerulo*. Quidni reponamus:

> nam *me*⟨*met*⟩ puero venter erat solarium?

Quae Musonius de philosophis audiendis monuerit, docet Gell. V 1, 1, „Cum philosophus" inquit „hortatur, monet, suadet, obiurgat aliudve quid disciplinarum disserit, tum, qui audiunt, si de summo et soluto pectore obvias vulgatasque laudes effutiunt, si clamitant etiam, si gestiunt, si vocum eius festivitatibus, si modulis verborum, si quibusdam quasi frequentamentis orationis moventur, exagitantur et gestiunt, tum scias et qui dicit et qui audiunt frustra esse neque illi philosophum loqui, sed tibicinem canere. § 2 Animus" inquit „audientis philosophum, ⟨*dum*⟩, quae dicuntur, utilia ac salubria sunt et errorum atque vitiorum medicinas ferunt, laxamentum atque otium prolixe profuseque laudandi non habet e. q. s.

A Musonio sumi philosophum disputantem verba tantummodo utilia et honesta et ad virtutem ducentia proferre consentaneum est, quamobrem neque lectionem ⟨*dum*⟩ *quae dicuntur* neque ⟨*quoad*⟩ *q. d.* probare possum. Miror nondum propositum esse

⟨*quia*⟩ *quae dicuntur* i. e. animus audientis, cum moveatur occupeturque rebus probis et veris a sapiente commemoratis, cogitare non potest de laudibus philosopho tribuendis.

De tunicis chiridotis haec scribit Gell. VI (VII) 12, 1 Tunicis uti virum prolixis ultra brachia et usque in primores manus ac prope in digitos Romae atque in omni Latio indecorum fuit. Eas tunicas Graeco vocabulo nostri „chiridotas" appellaverunt feminisque solis vestem longe lateque diffusam *indecere* existimaverunt ad ulnas cruraque adversus oculos protegenda.

Leni medicina adhibenda videtur integra lectio recuperari posse, sed alia via emendandi ineunda est atque ceteri omnes ingressi sunt. Edendum esse enim censeo: feminisque solis vestem longe lateque diffusam *in*⟨*dui*⟩ decere existimaverunt e. q. s.

Nondum sanatus est locus Gellianus, ubi traditur, quemadmodum A. Albinum rerum scriptorem Cato reprehenderit, quod ille se in historiae suae principio Graeca lingua conscriptae de inelegantia et erratis excusavisset. Verba autem Catonis haec sunt XI 8, 4 „Ne tu, Aule, nimium nugator es, cum maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Nam petere veniam solemus, aut cum inprudentes erravimus aut cum compulsi peccavimus. † „*Tibi*", inquit „oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod, priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur?

Cato ergo dicit: *at in ea re* si lapsus es, nulla est excusatio, itaque ei reddendum erit: *At ibi* e. q. s.

Saepissime Gellius laudat Catonis ἔπεα πτερόεντα, subiungamus igitur exemplo supra (XI 8, 4) tractato XIII 24, cuius alteram modo paragraphum hic brevitatis studio describere possumus: (§ 2) Haec mera veritas Tusculani hominis egere se multis rebus et nihil tamen cupere dicentis plus hercle promovet ad exhortandam parsimoniam sustinendamque inopiam quam Graecae ⟨*aeruscatorum*⟩ istorum praestigiae philosophari sese dicentium umbrasque verborum inanes fingentium, qui se nihil habere et nihil tamen egere ac nihil cupere dicunt, cum et habendo et egendo et cupiendo ardeant.

Inserui *aeruscatorum*, quod credere vix possum Gellium eius-

modi substantivum omisisse. Ipsum autem substantivum mihi suggerit XIV 1, 2 disciplinam istam Chaldaeorum tantae vetustatis non esse, quantae videri volunt, neque eos principes eius auctoresque esse, quos ipsi ferant, sed id praestigiarum atque offuciarum genus commentos esse homines *aeruscatores* et cibum quaestumque ex mendaciis captantes. Verum imprimis afferendus est locus simillimus, ubi festivissime depingitur, quomodo Musonius aretalogum quendam despexerit IX 2, 8 Musonius *aeruscanti* cuipiam id genus et philosophum sese ostentanti dari iussit mille nummum, et cum plerique dicerent nebulonem esse hominem malum et malitiosum et nulla re bona dignum, tum Musonium subridentem dixisse aiunt: ἄξιος οὖν ἐστιν ἀργυρίου.

Insuper tres loci mihi videntur verbis supplendis medicina minime violenta adhibita in integrum restitui posse. Sunt autem hi

XV 8, 2 Verba haec, quae adposuimus, Favoni sunt: Praefecti popinae atque luxuriae negant cenam lautam esse, nisi, cum lubentissime edis, tum auferatur et alia esca melior atque amplior succenturietur. Is nunc flos cenae habetur inter istos, quibus sumptus et fastidium pro facetiis procedit, qui negant ullam avem praeter ficedulam totam comesse oportere; ceterarum avium atque altilium nisi tantum adponatur, ut a cluniculis inferiore parte saturi fiant, convivium putant inopia sordere, superiorem partem avium atque altilium qui edint, eos palatum ⟨*malum aiunt*⟩ habere.

Confido supplementum meum non minus aptum esse quam Hertzii aliorumque additamenta.

Sequitur locus, qui agit de vi ellebori:

XVII 15, 4 Tum comperi duas species ellebori esse discerniculo coloris insignes candidi et nigri; eos autem colores non in semine ellebori neque in virgultis, sed in radice dinosci; candido stomachum et ventrem superiorem vomitionibus purgari; nigro alvum, quae inferior vocatur, dilui; utriusque esse hanc vim, ut humores noxios, in quibus causae morborum sunt, extrahant. Esse autem periculum, ne inter causas morborum omni corporum via patefacta ea quoque ipsa, in quibus causa vivendi est,

⟨*labent*⟩ amissoque omni naturalis alimoniae fundamento homo exhaustus intereat.

Non dubitavi addere *labent*, quia Lucretius, quem quanti Fronto et Gellius fecerint nemo ignorat, in re non plane dissimili eodem verbo usus est, cf. VI 1151 sqq.

inde ubi per fauces pectus complerat et ipsum
morbida vis in cor maestum confluxerat aegris,
omnia tum vero vitai claustra *lababant*. [1])

Tertius locus facile videtur emendari posse:
XIX 10, 5 sqq. eum interrogavit (sc. Fronto), quid significaret verbum „praeterpropter". Atque ille amicus: „non meum" inquit „hoc verbum est, sed multorum hominum, quos loquentis id audias; quid autem id verbum significet, non ex me, sed ex grammatico quaerundum est", ac simul digito demonstrat grammaticum haud incelebri nomine Romae docentem unaque ibi sedentem. Tum grammaticus usitati pervulgatique verbi obscuritate motus: „quaerimus" inquit „quod honore quaestionis minime dignum est. Nam nescio quid hoc praenimis plebeium est et in opificum sermonibus quam ⟨*usquam*⟩ notius."
Videtur librarius haplographia erravisse.

Gellii amicus Platonis distichon (cf. XIX 11, 2) in plures versiculos licentius liberiusque vertit, ex quibus novem afferendi sunt:

Dum semihiulco savio
meum puellum savior
dulcemque florem spiritus
duco ex aperto tramite,
† *anima* aegra et saucia
cucurrit ad labeas mihi,
rictumque in oris pervium

1) Locum notissimum de somniis Lucretianum (IV 962—972), quod primus vidit Lachmann, Fronto expressit Epist. III de Fer. Alsiensib. (Nab. 230, 4—9). Complura verba dictionesque a Lucretio videntur mutuati esse Fronto et Gellius e. g.
expergitus Lucr. III 929; Front. Nab. 10, 13; 207, 18; Gell. VII 10, 1 *expergebat*.
cum primis Lucr. I 716; III 916; Front. Nab. 74, 26; 89, 3; 212, 15; Gell. I 13, 7; XI 3, 1; XVII 2, 14 cet.
prosum (= prorsus) Lucr. III 45; Gell. X 3, 10 (prosus); XX 5, 8 cet.

et labra pueri mollia,
rimata itineri transitus,
ut transiliret, nititur.

Versum quintum sic corrigere velim:

animula et aegra et saucia.

Facile certe meminimus Hadriani morientis versiculorum (Vit. XXV 9).

Animula vagula blandula
hospes comesque corporis e. q. s.

CAP. IV.

Ad Iustinum.

Agathocles in Italiam transgressus consilia exsequi prohibitus est nam

XXIII 2, 3 reverti eum in Siciliam interiectis paucis diebus vis morbi coegit, quo toto corpore conprehensus per omnes nervos articulosque umore pestifero grassante velut intestino singulorum membrorum bello inpugnabatur. Ex qua desperatione bellum inter filium nepotemque eius regnum iam quasi mortui vindicantibus oritur; occiso filio regnum nepos occupavit. Igitur Agathocles, cum morbi cura † et aegritudo gravior esset et inter se alterum alterius *mole* cresceret, desperatis rebus uxorem suam Theoxenam genitosque ex ea duos parvulos cum omni pecunia et familia regalique instrumento, quo praeter illum nemo ditior fuit, navibus inpositos Aegyptum, unde uxorem acceperat, remittit, timens, ne praedonem regni sui hostem paterentur.

Auctor, nisi omnia me fallunt, dicere voluit Agathoclem, quamquam summa curatione necessarii id agerent ut recrearetur, sensim paulatimque infirmiorem fieri atque adeo regis morbum, quo diligentius medici sanare conarentur, eo magis ingravescere. Quod si recte intellexi, *mole* certe pro codicum lectione *malo* iure meritoque a Ruehlio editum videtur, totus vero locus sic refingendus: Igitur Agathocles, cum ⟨*in*⟩ morbi cura [et] aegritudo gravior esset et inter se alterum alterius mole cresceret, desperatis rebus e. q. s.

In autem non ita raro vim concessivam induit e. g. Liv. I 17, 3 *in* variis voluntatibus regnari tamen omnes volebant, libertatis dulcedine nondum experta; ibid. II 23, 3 sq. magno natu quidam cum omnium malorum suorum insignibus se in forum proiecit. obsita erat squalore vestis, foedior corporis habitus pallore ac

macie perempti; ad hoc promissa barba et capilli efferaverant speciem oris. noscitabatur tamen *in* tanta deformitate e. q. s.

In proximi libri initio auctor nos docet Spartanis ducibus permultas Graeciae civitates Aetolos aggressas esse, qui sacratum Apollini Cirraeum campum occupassent. Tum sic pergit:

XXIV 1, 5 Huic bello ducem deligunt Area, qui adunato exercitu urbes † sataque in his campis posita depopulatur, quae auferri non poterant incendit. Quod cum e montibus conspicati pastores Aetolorum essent, congregati admodum quingenti sparsos hostes ignorantesque, quanta manus esset, quoniam conspectum illis montes et incendiorum fumus abstulerant, consectantur trucidatisque admodum novem milibus praedones in fugam vertunt.

Fortasse *sataque* corruptum est ex *castellaque*, cf. Gran. Licin. XXXVI (Flemish. pag. 34) Faesulani irruperunt in *castella* veteranorum Sullanorum.

De Mithridate puero Iustinus cum alia tradit tum haec XXXVII 2, 4 sqq. Puer *tutorum* insidias passus est, qui eum fero equo inpositum equitare iaculari que cogebant; qui conatus cum eos fefellissent supra aetatem regente equum Mithridate, veneno eum appetivere. § 6 Quod metuens antidota saepius bibit et ita se adversus insidias exquisitis † *tutioribus* remediis stagnavit, ut ne volens quidem senex veneno mori potuerit.

Verisimile puto *tutioribus* post *tutorum* (§ 4) depravatum esse ex *potentioribus*; cf. Ovid. Heroid. V 147 sq.

Quaecumque herba *potens* [1]) ad opem radixque medendo
Utilis in toto nascitur orbe, meast;

Plin. Nat. Hist. XXV 10, 81 (Detlefs. 130) Artemisiam quoque secum habentibus negant nocere mala medicamenta aut bestiam ullam, ne solem quidem. bibitur et haec ex vino adversus opium. Alga privatim *potens* traditur, potatur et adversus ranas cet.

De eodem Mithridate paulo infra legimus

XXXVIII 1, 8 Igitur cum in aciem eduxisset Mithridates peditum

1) Cf. etiam Verg. Aen. XII 402 sq. Multa manu medica Phoebique *potentibus* herbis Nequiquam trepidat, cet.

LXXX milia, equitum X milia, currus falcatos sexcentos, nec Ariarathi auxiliantibus finitimis regibus minores copiae essent, *incertum belli* timens consilia ad insidias transfert sollicitatoque iuvene ad conloquium e. q. s.

Ruehl edit: *incertum belli ⟨exitum⟩*, sed traditam lectionem tuetur Min. Fel. Oct. XVI 2 Nam interim deos credere, interim se deliberare variavit, ut propositionis *incerto* incertior responsionis nostrae intentio fundaretur [1]).

Hoc loco Iustinus *incertum belli* neque *incerta belli*, quod Livius et Tacitus [2]) usurpant, scripsit perspicuitatis causa, ut opinor, ne quis forte *incerta* iungeret cum *consilia*.

---

1) Non semel consentiunt Minucius Felix et Iustinus e. g. Waltzing (Octavius, Deuxième Serie, 1909, Comment. pag. 83) comparat Octav. XI 9 *in dulcedinem carminis* cum Iustin. IV 1, 17 *in dulcedinem fabulae*. Sed imprimis conferendi sunt hi loci Octav. VII 5 Omitto vetera quae multa sunt.... *ne vobis antiquitas nimium fabulosa videatur* et Iustin. II 6, 7 Ante Deucalionis tempora regem habuere Cecropem, quem, *ut omnis antiquitas fabulosa est*, biformen tradidere e. q. s.

2) Cf. Liv. XXXIX 54, 7; Tac. Annal. IV 23. Cf. etiam Aur. Vict. de Caes. XVI 10.

CAP. V.

Minuciana.

Q. Caecilius Natalis rationem suam de natura rerum edocens cum alia dicit tum haec

Min. Fel. Octav. 5, 8 Homo et animal omne quod nascitur, inspiratur, attollitur, elementorum ut voluntaria concretio est, in quae rursum homo et animal omne dividitur, solvitur, dissipatur: ita in fontem refluunt et in semet omnia revolvuntur, nullo artifice nec iudice nec auctore. § 9 Sic congregatis ignium seminibus ⟨*scimus*⟩ soles alios atque alios semper splendere, sic exhalatis terrae vaporibus nebulas semper adolescere, quibus densatis coactisque nubes altius surgere, isdem labentibus pluvias fluere, flare ventos, grandines increpare, vel nimbis conlidentibus tonitrua mugire, rutilare fulgora, fulmina praemicare: adeo passim cadunt, montes inruunt, arboribus incurrunt, sine dilectu tangunt loca sacra et profana, homines noxios feriunt et saepe religiosos.

Similitudine litterarum deceptus post *seminibus* vocem *scimus* videtur librarius praetermisisse. Ceterum allitteratio quoque favet supplemento meo. *Sciendi* verbum eodem modo Minucius usurpat 26, 9 sq. Eos spiritus daemonas esse poetae *sciunt*, philosophi disserunt, Socrates novit, qui ad nutum et arbitrium adsidentis sibi daemonis vel declinabat negotia vel petebat. § 10 Magi quoque non tantum *sciunt* daemonas, sed etiam quicquid miraculi ludunt, per daemonas faciunt e. q. s. cf. etiam 27, 5.

Quanti faciat Minucius Felix Vergilii Georgica apparet e. g. cap. 19, 2 ubi Octavius citat celeberrimos illos versus IV 221 sq.

deum namque ire per omnes
terrasque tractusque maris caelumque profundum.

Verum exstat locus, quo idem Octavius designat non minus eiusdem carminis nobilem versum, qui tamen, quod sciam, fugit editores, quamvis diligentes fuerint illi in enumerando *ὁμοιότητας*, dico

37, 1 Quam pulchrum spectaculum deo, cum Christianus cum dolore congreditur, cum adversum minas et supplicia et tormenta componitur, cum *strepitum mortis* et horrorem carnificis inridens *inculcat* e. q. s. Verba *strepitum mortis* et *inculcat* plane ostendunt Minucio seu potius Octavio obversatum esse tertium ex hisce versibus (Georg. II 490 sqq.)

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnis et inexorabile fatum
Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari.

Iam vero nullus dubito quin unusquisque concessurus sit hos Vergilii versus (Aen. VI 663 sq.)

Inventas aut qui vitam excoluere per artis,
Quique sui memores alios fecere merendo

ab Octavio expressos esse ad hunc modum (16, 5) *quin ipsos etiam philosophos* (sc. sciat), *vel si qui alii artium repertores in memorias exierunt* . . . . . (habitos esse plebeios, indoctos, seminudos e. q. s.).

Hic non praetereunda videtur similitudo quaedam intercedens inter Min. Fel. Octav. 2 § 3—4 et Gell. Noct. Att. XVIII 1 § 2—3. Nam et apud Minucium et apud Gellium gravis atque magna disceptatio habita est in litore Ostiae aestivo fere tempore. Legimus autem locis indicatis

(apud Minucium) placuit *Ostiam* petere, amoenissimam civitatem, quod esset corpori meo siccandis umoribus de marinis lavacris blanda et adposita curatio . . . . . Nam id temporis post *aestivam* diem in temperiem semet autumnitas dirigebat. § 4 Itaque cum diluculo ad mare *inambulando litori* pergeremus e. q. s.

(apud Gellium) Familiares Favorini erant duo quidam non incelebres in urbe Roma philosophi. Eorum fuit unus Peripateticae disciplinae sectator, alter Stoicae. His quondam ego acriter atque contente pro suis utrimque decretis propugnantibus, cum essemus una omnes *Ostiae* cum Favorino interfui. *Ambulabamus*

autem in litore, cum iam advesperasceret, *aestate* anni novi.

Itaque non sine causa dixeris Minucium scenam dialogi, qui inscribitur Octavius, desumpsisse e Gellii libro octavo decimo [1]).

1) Praeterea conferenda sunt quae observavimus ad Iustin. XXXVIII 1, 8 (cum adnot.); ad Front. I 2 (adnot.) III 15; ad Arnob. passim.

CAP. VI.

Arnobiana.

Pergit Arnobius ea referre et refutare quae adversarii Christianis obiciunt sic scribens:

I 13 (Reifferscb. pag. 11, 12 sqq.) Christianorum, inquiunt, causa mala omnia dii *erunt* et interitus comparatur ab superis frugibus. rogo, cum haec dicitis, non calumniari vos improbe in apertis conspicitis manifestisque mendaciis?

Pro *dii erunt*, quae est codicum lectio, Reifferscheid recepit *di ingerunt*, equidem repono ductibus litterarum verbi corrupti paulum immutatis: mala omnia dii *creant*. Cf. Plaut. Mil. Glor. 33 venter *creat* omnis hasce aerumnas; ibid. 294 tuis nunc cruribus capitique fraudem capitalem hinc *creas*, cet.

Saepissime Arnobium novimus Plautinis locutionibus usum esse, cf. Miscell. (1912) pag. 5.

I 26 (pag. 17, 12 sqq.) profanos nos, impios Dodonaeus aut Iuppiter ⟨*Hammon*⟩ nominat, et ipse dicetur deus atque in ordine conputabitur numinum, qui aut summo servientibus regi crimen impietatis adfingit aut sibi torquetur maiestatem eius cultumque praeponi? Delius Apollo vel Clarius, Didymaeus Philesius Pythius *ethis* habendus divinus est, qui aut summum imperatorem nescit aut ignorat a nobis cotidianis ei precibus supplicari?

In hunc locum melius quadrat *Hammon* quam *Capitolinus* (quod olim supplevi), cum sermo videatur esse de deo oracula edente [1]) atque ipse Arnobius scribat VI 12 (pag. 224, 11 sqq.) interstinctio fieri quae poterit singulorum, cum qui Iuppiter

1) Hoc merito observavit Paulus Thomas, qui censuram *Miscellorum* meorum egit in ephemeride quae vocatur Revue de l'Instruction publique en Belgique LVI pag. 119 sq.

fuerat idem possit existimari Mars esse et qui Mavors fuerat subintroire speciem *Iovis* possit *Hammonis*?

Occasione data de illo *ethis* dicam quod sentio: fieri potest ut id post nomen *Pythius* natum sit dittographia aut ortum ex *iste* [1]).

De miraculis a Christo perfectis legimus:

I 45 (pag. 30, 1 sqq.) unus fuit e nobis, qui claudos currere praecipiebat et iam *operis res erat*, porrigere mancos manus, et articuli mobilitates iam ingenitas explicabant; captos membris adsurgere, et iam suos referebant lectos alienis paulo ante cervicibus lati; viduatos videre luminibus, et iam caelum diemque cernebant nullis cum oculis procreati?

Ipse Arnobius videtur nos docere quid restituendum sit. Qui contulerit V 9 (pag. 182, 16 sqq.) ergone ille rex mundi, cum incautus et *properus* obiectionis [2]) esset reiectus a furto, in inpetum se vertit et . . . vi matrem adgressus est e. q. s. et III 10 (pag. 118, 10 sqq.) sequitur ut deas quoque credamus . . . . . aboriri praeferre et *praepropero* partu septimanas edere aliquando feturas e. q. s., non dubitabit hic quoque ponere: et iam *properi erant*. Nemo non intelleget vitii originem fuisse *pro* et *per* scripta per compendia notissima [3]).

Cf etiam Ovid. Met. VII 647 ecce venit Telamon *properus* et Catull. 63, 34 rapidae ducem sequuntur Gallae *properipedem*.

I 50 (pag. 34, 9 sqq.) imperio ille (sc. Christus) uno exturbavit a corporibus daemonas et exanimatis suos restituit sensus, sub eorum tortantes et illi [4]) se *casibus* iussione non alia sanitati et constantiae reddiderunt.

Salmasii correctio *tortantes* (pro cod. scriptura *portantes*) cogit nos voci *casibus* substituere *cruciatibus* [5]); cf. VI 21 (pag. 232,

---

1) Kirschwing ad hunc modum textum refingere vult: ⟨Pythius *sacrilegos nos dicit et atheos*⟩ *et is* habendus divinus est e. q. s.

2) Servo lectionem traditam, at Reifferscheid edidit *obreptionis*.

3) Antea proposui *perniciores erant*; at Thomas l. c. *cervis ociores erant*.

4) Sc. apostoli, quos Arnobius vocat (pag. 34, 5): piscatores, opifices rusticanos atque id genus imperitorum.

5) Meiser coniecit *crucibus*, quod ad sensum sufficit.

17 sqq.) ubinam fuerat rex poli, ut praesentem se esse formidine aliqua conprobaret et urbanum scurrulam *cruciatibus* revocaret ad seria? cet.

I 59 (pag. 39, 20 sqq.) barbarismis, soloecismis obsitae sunt, inquit, res vestrae et vitiorum deformitate pollutae puerilis sane atque angusti pectoris reprehensio, quam si admittemus ut vera sit, abiciamus ex usibus nostris quorundam fructuum genera, quod cum spinis nascuntur et purgamentis aliis, quae nec alere nos possunt nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter ⟨*dulcedine*⟩ antecedit et saluberrimum nobis voluit esse natura.

Inserui vocabulum, quod sententia flagitat quodque Arnobius persaepe usurpat cf. III 26 (pag. 129, 18 sq.) deum ergo dicemus in voluptatis suae *dulcedinem* collidere orbem totum e. q. s.; pag. 87, 24; 146, 22; 147, 10; 174, 5; 175, 1; 206, 4 cet.

II 51 (pag. 88, 3 sqq.) sed risui vobis est nostra responsio, quod cum regias suboles esse animas abnegemus, non referamus contra, ex quibus sint causis atque originibus procreatae. quod est *enim* criminis genus, aut rei esse alicuius ignarum aut ipsum quod nescias sine aliqua profiteri dissimulatione nescire e. q. s?

Pro *enim* Ursinus legere voluit *autem*, verum traditam lectionem tuetur VII 46 (pag. 281, 8 sqq.) Tiberinam postquam ad insulam repsit (sc. anguis), nusquam continuo apparuit: qua ex re numen fuisse monstratur. possumus *enim* scire, utrumne istic aliquod rei fuerit alicuius obstaculum cuius sese obiectu atque oppositione protexerit e. q. s.? Sed non modo in sententiis interrogativis [1]) *enim* vim adversativam induit, verum etiam in sententiis affirmativis velut III 20 (pag. 125, 15 sqq.) hic (sc. deus) in sermone facundus est atque in verborum continuationibus promptus: bardi *enim* sunt alii nec possunt aliquid scitum, si oratio facienda est, eloqui; ibid. vs. 10 sqq. ille, inquit, musicus deus est, et hic alter divinus est. ceteri *enim* dii non sunt musici et ventura praedicere inscitia nesciunt atque ignorantia futurorum [2]).

---

1) Cf. etiam pag. 157, 4.

2) Schmalz⁴ pag. 505: Postpositives *enim* ist auch sonst im Spätlat. adversativ gebraucht. Cf. Löfstedt Philol. Komment. z. Peregr. Aether. pag. 34.

De omnipotentia Dei haec Arnobius exponit:

II 54 (pag. 90, 11 sqq.) ... si cuncta eius voluntate conficiuntur nec citra eius nutum quicquam potest in rebus vel provenire vel cadere, necessario sequitur, ut mala etiam cuncta voluntate eius intellegantur enasci. sin autem dicere voluerimus contra, pessimorum ab eo reicientes causas, mali esse conscium generatoremque nullius, incipient *evideri* aut eo invito res pessimae fieri aut, quod sit immane dixisse, nesciente, ignaro atque inscio.

Pro *evideri* Sabaeus coniecit *videri* neque ego credo Arnobium compositum illud adhibuisse. Nonne dedit auctor: incipient ⟨*evidenter*⟩ videri i. e. manifesto videbuntur? [1]) Cf. evidens (pag. 92, 11); evidentia (pag. 208, 7) cet.

III 12 (pag. 119, 22 sqq.) nunc ad speciem veniamus et formas, quibus esse descriptos deos superos creditis, quibus immo formatis et templorum amplissimis conlocatis in sedibus. neque quisquam Iudaeicas in hoc loco nobis opponat et Sadducaei generis fabulas, tamquam formas tribuamus et nos deo: hoc enim putatur in eorum litteris dici et ut rem certam ⟨*antiquitate*⟩ atque auctoritate firmari e. q. s.

Supplevi substantivum, quo nullum aliud hic intercidere potuit facilius. Ceterum operae pretium est comparare V 26 (pag. 197, 9 sqq.) calumniari nos improbe si quis forte hominum suspicatur, libros sumat Threicii vatis, quos *antiquitatis* memoratis esse divinae cet.

Auctor deridet adversarios, qui deos sibi fingant laborantes atque egentes tamquam homines haec scribens:

III 21 (pag. 126, 2 sqq.) rem rusticam tractant aut curant militaria munera; ut flammis potens Vulcanus fabricetur his enses aut ruris ferramenta procudat. vestis indigent tegmine: ut virgo Tritonia *curiosius* stamen neat et qualitate pro temporis aut trilices tunicas aut de serico *et imponere* [2]).

Iure Löfstedt [3]) defendit vocem traditam *curiosius* contra editoris

---

1) Schmalz[4] pag. 488 agit de vi verbi, quod est *incipere.*

2) Haec est codicis scriptura a Reifferscheidio mutata in *componat.*

3) In Erani Vol. X pag. 13.

lectionem *curiose eis*. Idem in extremo enuntiato requirit *eis imponat*. Ut pulchra clausula exsistat equidem ediderim: aut trilices ⟨*eos*⟩ tunicas aut de serico ⟨*cogat*⟩ imponere.

Referens multas opiniones de significatione deae Minervae Arnobius docet haec:

III 31 (pag. 132, 19 sqq.) eandem hanc alii aetherium verticem et summitatis ipsius esse summam dixerunt, memoriam nonnulli, unde ipsum nomen Minerva quasi quaedam Meminerva formatum est. quodsi accipit res fidem, nulla est ergo Metis filia, nulla *Victoriae*, nulla Iovis elata de cerebro inventrix oleae.

Reponendo nulla Victoriae ⟨*era*⟩, ipsius auctores manus mihi videtur restitui posse. Cf. Catull. 64, 393 sqq.

Saepe in letifero belli certamine Mavors
Aut *rapidi Tritonis era* aut Rhamnusia virgo
Armatas hominum est praesens hortata catervas.

III 35 (pag. 134, 24 sqq.) ut enim homo unus nequit permanente sui corporis integritate in homines multos scindi, neque homines rursus multi disiunctionis differentia conservata in unius sensus ⟨*finem*⟩ simplicitatemque conflari, si ita mundus unum est animal et unius mentis agitatione motatur, nec in plura potest numina dissipari nec si eius particulae dii sunt, in unius animantis conscientiam cogi atque vertier.

Quod inserui, hausi ex ipso Arnobio nempe III 37 (pag. 136, 7 sqq.) nisi fallimur, ista dissentio nihil scientium verum est, non ab rei veritate descendens. nam si liquido sciretur quid sit, esset unanimis vox omnium et in eiusdem sententiae *finem* cunctorum pergeret et conveniret adsensio.

IV 18 (pag. 156, 7 sqq.) aut quicquam vos ipsi de illorum ritibus potestis caerimoniisque narrare, quod relatum in litteras non sit et scriptorum commentariis publicatum? aut si ponderis existimatis nullius haec esse, aboleantur omnes libri quos de diis habetis compositos theologorum, pontificum, nonnullorum etiam philosophiae deditorum; quinimmo potius fingamus ab exordio mundi nullum aliquando mortalium ⟨*commentatum*

opinatum⟩ [1]) nullum esse de diis quicquam: experiri volumus et cupimus scire, an muttire, an hiscere deorum in mentione possitis, an concipere eos mente quos in animis vestris nullius scripti informaverit notio.

Indicavi qua ratione locus turbatus in integrum restitui possit. Salmasius putavit *esse* corruptum esse ex *scripse*, Meiser *nullum* depravatum ex *commentum* cet., sed inter omnes constat nullum genus vitiorum frequentius codicem Parisinum, qui Arnobii libros continet, occupavisse quam verba omissa. Kirschwing post alterum *nullum* inseruit *commentatum*.

IV 20 (pag. 157, 13 sqq.) ex Ope, inquitis, matre et ex genitore Saturno cum suis est natus Diespiter fratribus. uxores enim [2]) dii habent atque in coniugalia foedera [3]) condicionibus veniunt ante quaesitis? usu farreo coemptione genialis lectuli sacramenta condicunt? habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas? et quid de ipsis *coniunctionibus* loquimur, quando ⟨*oportet*⟩ et quosdam nuptias celebrasse et festas habuisse frequentias dicere et lusisse in his deas e. q. s.

Nihil est cur Reifferscheidium audientes vocem *coniunctionibus* mutemus in *condicionibus*. Idem post *frequentias* desiderat *audetis* vel simile verbum, at ego aliam viam ineundam esse censui.

Non gravi vitio, quod iam pridem tolli oportebat, laborant Arnobii pulchra verba, quae legimus:

IV 30—31 (pag. 166, 6 sqq.) cultus verus in pectore est atque opinatio de diis digna nec quicquam prodest inlatio sanguinis et cruoris, si credas de his ea, quae non modo sint longe ab eorum dissita distantiaque natura, verum etiam labis et turpitudinis aliquid et maiestati eorum concilient et decori. (cap. 31) interrogare enim vos libet et ad sermonis exigui responsionem vocare, utrumne gravius existimetis nullas caedere his hostias, quia putes naturam tantam neque velle neque appetere stas, an talia de his probra opinionum foeditate concipere quaei

---

1) Legimus: *commentatus* est tanta (244, 19), honoratius *opinemur* (268, 30) cet.

2) De vi huius coniunctionis disputavi supra (II 51).

3) Cf. Ovid. Met. XI 743 tunc quoque mansit amor nec *coniugiale* solutum *Foedus* in alitibus.

cuiusvis animum in ultionis possint rabiem concitare? si rerum momenta pendantur, nullum reperias tam *invidum* iudicem, qui non criminosius aestimet maledictis insignibus cuiuspiam famam carpi quam a quoquam silentio praeteriri. hoc enim forsitan rationis existimari possit et credi, illud sacrilegae mentis est et desperatae in fictionibus caecitatis.

Syllaba addita vel potius ratione habita compendii scripturae praetermissi scribamus: si rerum momenta pendantur, nullum reperias tam *inprovidum* iudicem e. q. s. Cf. V 3 (pag. 176, 4 sqq.) quid? quod sequitur fidem suam habet, tam *improvidum* fuisse Saturnium ut aut ea proponeret quorum ambagibus ipse caperetur aut nesciret futurum, quibus lusura se modis astutia esset calliditasque mortalis? Verum aptius conferemus Min. Fel. XX 5 Similiter erraverunt erga deos quoque maioris nostri: *inprovidi*, creduli [1]) rudi simplicitate crediderunt; et Firm. Matern. Math. I 7, 18 Ecce in quadam parte orationis suae, sicut mihi videtur, *improvidus* et incautus, vim fatalis necessitatis adgreditur et homines Fortunae decreta metuentes severa orationis obiurgatione castigat e. q. s.

V 1 (pag. 173, 2 sqq.) Esto: ab ludentibus poetis cuncta illa sint prodita et ⟨*importata*⟩ immortalibus diis probra. quid? illa, quae historiae continent graves seriae curiosae quaeque in arcanis mysteriis traditis, poetarum sunt excogitata lascivia? quae si vobis viderentur ineptiarum talium fabulae, neque in *usu* retineretis quaedam *assiduo* neque per cursus annuos laetitias exerceretis ut festas neque ut rerum simulacra gestarum sacrorum conservaretis in ritibus.

Quamobrem supplerem *importata*, exposui Miscell. (1912) pag. 9. Nunc restituto *assiduo* pro codicis lectione *suo* totum locum, ut opinor, sanavi. Cf. Sueton. Aug. 71, 1 mox vasa aurea *assiduissimi usus* conflaverit omnia; Arnob. VII 41 (pag. 274, 12) repetamus ut *assidue* hanc vocem cet.

V 23 (pag. 194, 8 sqq.) vellem itaque videre patrem illum

---

1) Waltzing Comment. (1909) pag. 115 comparat Cic. Lael. § 100 *improvidorum* et credulorum senum.

deorum Iovem, aeternam rerum atque hominum potestatem, bubulis esse cohonestatum cornibus, hirsutas agitantem aures, contractis in ungulas ⟨*grassantem*⟩ gressibus, ruminigantem pallentis herbas et ex parte postica caudam suffragines talos molli fimo perlitum atque intestina proluvie delibutum.

Facile unusquisque intelleget participium intercidisse, favet autem supplemento meo Plaut. Poen. 514 Nisi cum pedicis condidicistis istoc *grassari gradu.* Cf. I 13.

Arnobius derisa in praecedentibus adversariorum interpretatione allegorica deorum nominum haec scribit in extremo libro quinto: V 45 (pag. 213, 9 sqq.) quae est enim ratio, ut cum suis censeri appellationibus res possint, nominibus cognominentur deorum, et ea fiat numinibus contumelia quam nec homines sustinemus, si nostra quis nomina res ducat atque invertat in frivolas? sed oratio sordida est, verbis fuerit polluta si talibus. verecundia ⟨*unica*⟩ ac laude condigna! erubescitis panem et vinum nominare et pro coitu venerem non metuitis dicere!

Colori ironico loci adiectivum, quod inserui, accommodatum est. Alii coniunctionem *ac* variis modis mutaverunt.

VI 6 (pag. 218, 16 sqq.) in historiarum Antiochus nono Athenis in Minervio memorat Cecropem esse mandatum terrae, in templo rursus eiusdem, quod in arce Larisae est, esse conditus scribitur atque indicatur Acrisius, Erichthonius Poliadis in fano, Dairas et Immaradus fratres in Eleusinio consaepto, quod civitati subiectum est. quid Celei virgines? non in Cereris Eleusiniae ⟨*sitae*⟩ *humationis* perhibentur officia?

Humationis iamdiu correctum est ex codicis scriptura *humationibus* [1]; participium vero a me additum, quod facile post *Eleusiniae* intercidere potuit, desumpsi e verbis, quae paulo infra leguntur (pag. 219, 5 sqq.) Ptolomaeus.... Cinyram regem Paphi cum familia omni sua, immo cum omni prosapia in Veneris templo *situm* esse litterarum auctoritate declarat.

VI 13 (pag. 225, 2 sqq.) itaque artifices omnes ipsis isdem

---

1) Cf. VI 7 (pag. 219, 19) cum membris omnibus *humationis officia* sortitum (sc. caput)?

qui temporibus extiterunt quibusque primas dabat exprimendarum similitudinum veritas omni cura studioque certabant filum capitis prostituti Cythereia in simulacra traducere, ardebant artificum scita ⟨*ingenia*⟩ alterque alterum vincere contentiosa aemulatione quaerebant, non Venus ut augustior fieret, sed ut Phryna pro Venere staret.

Solito errore librarius videtur lapsus esse itaque censui supplementum esse quaerendum. *Ingenia* autem in hunc locum quadrare docent haec verba IV 20 (pag. 157, 11 sq.) eas illis (sc. dis) adiungitis nativitates ortusque eos adscribitis quos *ingeniis lautioribus* homines et execrationi habeant et horrori.

VI 16 (pag. 229, 1 sqq.) non in ore aliquando simulacri ab araneis ordiri (sc. videtis) retia atque insidiosos casses, quibus volatus innectere stridularum possint inpudentiumque muscarum? non hirundines denique intra ipsos aedium circumvolantes tholos iacularier stercoris ⟨*pilas*⟩ plenas et modo ipsos vultus, modo numinum ora depingere, barbam oculos nasos aliasque omnis partis, in quascumque se detulerit deonerati proluvies podicis?

Non est sollicitanda vox *plenas* (id quod Meiser fecit) sed revocandum vocabulum, quod similibus fere litteris constans in sententiam convenit. Supplevi *pilas* coll. Plin. N. H. XI 34, 98 aliud rursus eorum (sc. scarabaeorum) genus qui e fimo ingentis *pilas* aversi pedibus volutant parvosque in iis contra rigorem hiemis vermiculos fetus sui nidulantur.

Afferamus praeterea locum similem, qui in editione Reifferscheidiana desideratur, nempe Min. Fel. Octav. 22, 6 Quanto verius de diis vestris animalia muta naturaliter iudicant! Mures, hirundines milvi non sentire eos sciunt norunt [1]); inculcant, insident, ac nisi abigatis, in ipso dei vestri ore nidificant; araneae vero faciem eius intexunt et de ipso capite sua fila suspendunt.

VI 20 (pag. 231, 28 sqq.) cur canes in Capitoliis pascitis? cur anseribus victum alimoniamque praebetis? quinimmo si fiditis deos istic esse nec ab signis uspiam simulacrisque dis-

---

1) Ita edidit W. A. Baehrens cap. 24, 1, at Waltzing legit *sciunt: rodunt* e. q. s.

cedere, permittite illis curam sui, reserata sint semper atque aperta delubra, ac si quid a quopiam temeraria fuerit fraude subreptum, vim numinis monstrent et sub ipso furti atque operis *nomine* sacrilegos poenis convenientibus figant.

Verba tradita nisi fallor recte se habent, nam *sub ipso furti atque operis nomine* idem significant atque *sub ipso furto atque opere*, cum *nomen* circumlocutioni inserviat. Huius rei alterum exemplum legimus VII 24 (pag. 257, 20 sqq.) quid polimina, quid *omenta*, quid palasea sive ut quidam cognominant plasea? ex quibus est *nomen omenti* pars quaedam, qua receptacula ventrium circumretita finiuntur e. q. s. Locutionem *nomen omenti* strenue defendit plaudente Heraeo [1]) Löfstedt contra Reifferscheidium, cui placuit scribere *omentum*.

Reicienda est igitur Meiseri coniectura *molimine* pro *nomine* neque lacuna statuenda post *operis* cum editore.

VI 27 (pag. 237, 15 sqq.) quoniam satis, ut res tulit, quam inaniter fiant simulacra monstratum est, de sacrificiis deinceps, de caedibus atque immolationibus hostiarum, de mero, de ture deque aliis omnibus quae in parte ista confiunt poscit ordo quam paucis et sine ullis circumlocutionibus dicere. in hac enim consuestis parte invidias nobis tumultuosissimas concitare, appellare nos atheos, et quod minime ⟨*sua*⟩ *attribuamus* diis, poenas etiam capitis beluarum crudelitatibus inrogare.

Attribuamus immerito mea quidem sententia ab editore mutatum est in *sacrificamus*, immo tradita lectio ferri potest, dummodo obiectum addamus. Supplementum meum commendatur hoc loco Arnobiano VII 35 (pag. 268, 29 sqq.) comparemus, utrumne vos melius rebus de superis sentiatis an potius nos multo et honoratius opinemur et rectius quodque rei divinae suam praestet atque attribuat dignitatem [2]).

De sacrificiis, quae Romani dis offerebant, legimus:

VII 8 (pag. 242, 31 sqq.) ergone iniurias suas dii vendunt atque ut parvuli pusiones, ut animos *parcant* abstineantque

---

1) Cf. Berlin. philol. Wochenschr. (Sonderheft) 14 Dez. 1912, pag. 1691.

2) Löfstedt scribendum esse censet: minime *ea tribuamus*.

ploratibus, passerculos pupulos eculeos panes accipiunt, quibus avocare se possint, ita dii immortales placamenta ista sumunt, quibus iras atque animos ponant et in gratiam suis cum offensoribus redeant?

Codicis lectionem *parcant* Reifferscheid mutavit in *pascant*, frustra [1]).

Arnobius agens de pestilentia, quae saepius in imperium Romanum invasit post receptum ex Epidauro serpentem vel deum Aesculapium adversarios sic interrogat:

VII 47 (pag. 282, 6 sqq.) ubi ergo Aesculapius fuit, ubi ille promissus oraculis venerabilibus? cur templa post condita sibique exaedificata delubra ⟨*membra*⟩ diutius habere perpessus est bene meritae civitatis luem, cum in id esset adcitus ut et malis mederetur instantibus nec sineret in futurum tale aliquid quod metueretur inrepere.

Inserui verbum, quod sententia flagitare videtur. Cum *membra civitatis* conferendae sunt hae locutiones: philosophiae *membra* (Apul. de Plat. I 3; Thom. 85, 5), omnibus Graeciae urbibus velut regni *membris* amissis (Iustin. XXX 4, 17); diversa reipublicae *membra* (Paneg. II 36); per omnia *civitatis membra* una vox cunctorum erat gementium (Ammian. Marcell. XXV 9, 5) [2]).

Auctor narrat (VII 49) Magnam Matrem e Phrygio Pessinunte accitam nihil aliud fuisse quam lapidem non magnum, qui hominis manu ferri posset. Proximo autem capite, ut solet, adversarios interrogat cum alia tum haec:

VII 50 (pag. 284, 1 sqq.) aut qui rursus accipiat — hoc enim solum restat — numinis alicuius habitasse *vim* silicis fragmentis ignis more subiectam venisque in eius abstrusam?

Observandum est Orellium *vim* reposuisse pro tradita voce *in*, sed praestare videtur scribere: numinis alicuius habitasse ⟨*vim*⟩ *in* silicis fragmentis e. q. s. Utile est conferre Cic. Orat.

---

1) Saepius in posteriore latinitate *parcere* construitur cum accusativo; cf. Schmalz [4] pag. 372.

2) Imprimis locutionem illam adamat Ammianus Marcellinus, cf. XV 3, 3; XVIII 5, 1; XV 7, 5; XVI 10, 14; XVI 5, 6 cet.

§ 22 horum singulorum generum quicumque *vim* ⟨*in*⟩ singulis consecuti sunt, magnum in oratoribus nomen habuerunt.

Ceterum Kirschwing Reifferscheidii lectionem *ignis more* contra Meiseri audacem coniecturam *marmori* bene defendit.

Non est mihi in animo permultos locos a Reifferscheidio iniuria sollicitatos vel in suspicionem vocatos Arnobio [1]) vindicare, verum malo paucas ὁμοιότητας afferre.

Nullus dubito quin Arnobio scribenti:

I 38 (pag. 24—25) nonne dignus a nobis est tantorum ob munerum gratiam deus dici deusque sentiri (sc. Christus)? si enim vos Liberum, quod usum reppererit vini, si quod panis, Cererem, si Aesculapius, quod herbarum, si Minervam, quod oleae, si Triptolemum, quod aratri, si denique Herculem, quod feras, quod fures, quod multiplicium capitum superavit compescuitque natrices, divorum retulistis in censum; honoribus quantis adficiendus est nobis, qui ab erroribus nos magnis insinuata veritate traduxit e. q. s. . . . . in universum obversati sint versus Lucretiani [2]) V 1—54, ubi poeta Epicurum dignum esse iudicat, qui deus nominetur atque Herculi anteponatur. Imprimis autem comparandi sunt versus:

7 nam si, ut ipsa petit maiestas cognita rerum
dicendumst, deus ille fuit, deus, inclyte Memmi,
qui princeps vitae rationem invenit eam quae
nunc appellatur sapientia . . . .
14 namque Ceres fertur fruges Liberque liquoris
vitigeni laticem mortalibus instituisse. —
22 Herculis antistare autem si facta putabis,
longius a vera multo ratione ferere.
26 quid . . . . Lernaeaque pestis
hydra venenatis posset vallata colubris?

Transeamus ad:

III 9 (pag. 117, 10 sqq.) ergo si haec ita sunt, id est si dii procreant superi et super has leges experiuntur se sexus, suntque

---

1) Recte se habent pag. 214, 24 *addicere* (Reiff. *adicere*); 228, 25 ossa in spem tracta; 252, 14 *minus* (Reiff. *animantis*); 281, 17 properata *omni* (Reiff. *agminis*) festinatione cet.

2) Auctor loquitur de „Musa . . . Lucretia" (III 10 pag. 118, 18).

inmortales nec frigoribus fiunt senectutis effeti, sequitur ut debeant plena esse diis omnia neque innumeros caelos eorum capere multitudinem posse e. q. s.

Manifestum est Arnobium hunc locum mutuatum esse a Min. Fel. Oct. 21, 12 Ceterum si dii creare possent, interire non possent, plures totis hominibus deos haberemus, ut iam eos nec caelum contineret nec aer caperet nec terra gestaret.

Hunc locum similem neque affert Waltzing neque Baehrens. Subiungamus alteram *ὁμοιότητα* ab utroque commemoratam:

Arnob. VI 14 (pag. 226, 6 sqq.) simulacra ista.... ossa lāpides aera sunt, argentum aurum testa, lignum.... ex candelabris et lucernis aut ex aliis vasculis congesta, conflata in has species ducta sunt atque in formas quas cernitis exierunt.... ex incudibus et malleis nata.... asciis secta dolata effossa, terebrarum excavata vertigine, runcinarum levigata de planis.

Min. Fel. Oct. 22, 3 Deus enim ligneus, rogi fortasse vel infelicis stipitis portio, suspenditur, caeditur, dolatur, runcinatur (§ 4) et deus aereus vel argenteus de immundo vasculo, ut saepius factum Aegypto regi, conflatur, tunditur malleis et incudibus figuratur; et lapideus deus caeditur, scalpitur et ab impurato homine levigatur.....

Quamq uam levior similitudoest, tamen editores debebant conferre etiam hi duo loci:

Arnob. VI 6 (pag. 218, 22 sq.) non in Cereris Eleusiniae ⟨*sitae*⟩ humationis perhibentur (sc. Celei virgines) officia?

Min. Fel. Oct. 21, 1 sepulcra (sc. deorum) dinumerat (sc. Euhemerus) et per provincias monstrat,.... Phariae Isidis et Cereris Eleusiniae.

Verba quae legimus:

IV 21 (pag. 157, 23 sqq.) ille rector poli, pater deorum et hominum, supercilio id est nutu totum motans et tremefaciens caelum.... nos admonent notissimi versus Vergiliani (Aen. IX 106; X 115):

Adnuit et totum nutu tremefecit Olympum [1]).

1) Fortasse Arnobius scribens VII 26 (pag. 259, 25) *annorum inexplicabilis series* imitatur Horat. C. III 30, 4 sq. innumerabilis Annorum series.

CAP. VII.

Firmiciana.

Mathes. I 7, 5 Quid de † errore honoribus malorum et de fuga exiliisque bonorum dicimus [1]?

Vocem corruptam *errore* post praepositionem *de* natam puto ex *decore*, restituerim autem: Quid de *decore atque* honoribus malorum et de fuga exiliisque bonorum dicimus?

III 1, 14 Purgatis agrestibus studiis, repertis artibus disciplinisque compositis per diversos actus humani se generis exacuit intentio, et quia mobile ingenium in homine unum vitae cursum servare non potest, ex variis institutis moribusque confusis malitiae crevit inprobitas, et *tota* scelerum flagitia gens hominum hoc tempore facinorosis machinationibus et invenit et tradidit.

Revocavi *tota* pro codicum scriptura *vitae*; cf. IV 21, 5 sed iis a feminis vel ab uxoribus *tota* felicitatis insignia conferuntur, quod exemplum addatur iis, quae congessit Ziegler in Indice verborum (pag. 535).

IV 21, 10 Si vero in tropicis signis fuerit inventus (sc. Mercurius), ex mutationibus aut ex interpretationibus decernit officia. In aequinoctialibus signis positus ponderibus publicis praeponit. In duplicibus vero signis inventus cordatos ingeniosos inventores astrologos et omnia, quaecumque his artibus ac disciplinis similia videntur, † *ac* ratione decernit.

Hic videtur legendum esse *assidua ratione decernit*, cuius locutionis aliquot exempla laudemus necesse est eo magis, quod Ziegler vocabulum, quod est *assiduus*, in Indice omisit: V. 2, 13

---

1) Editiones adhibui Teubnerianas, quas curaverunt W. Kroll, F. Skutsch, K. Ziegler.

Si Sol in ipsis finibus fuerit inventus, prosperos actus *assidua* ratione decernit; V 3, 14 Sed cum in domibus suis Saturnus fuerit ⟨constitutus⟩, tunc damna tunc tempestates tunc pericula tunc aegritudines tunc causas *assidua* ratione decernit; VI 16, 1 Si Juppiter et Mars diametra se radiatione respexerint, et in contrariis constituti locis longa se invicem radiorum ⟨suorum⟩ potestate pulsaverint, omnem vitae inaequalitatem et patrimonii lacerationem *assidua* ratione decernunt. Cf. praeterea V 3, 20 *assidua* ratione mutantur; V 3, 24 *assiduis* rationibus transferuntur cet.

V 1, 37 In nobis quia fragilis et caduca substantia est, non meremur talibus magisteriis institui. Divinorum itaque virorum vestigia sectemur, et quicquid ab illis traditum est, ⟨*veris*⟩ interpretationibus transferamus.

Adiectivum, quod inserui, commendatur hoc exemplo VIII 5, 1 Neque enim divini illi viri et sanctissimae religionis antistites, Petosirio et Nechepso, quorum alter tenuit imperii gubernacula, cum omnia quae ad huius artis pertinent disciplinam, diligentissimis ac *veris* interpretationibus explicassent, hoc quod nos edituri sumus, invenire potuerunt [1]).

V 2, 11 Si Juppiter in ipsis finibus fuerit inventus, faciet teneros libidinosos luxuriosos sed ab omni crudelitatis invidia sepositos, et qui ad omne officium ⟨*viam*⟩ moderationis adfectent, artificiosos claros et qui in templis honorum consequantur insignia.

Facile certe post *officium* vox a me suppleta interire potuit.

V 4, 5 Navigabunt autem in magno mari aut in fluviis, versabuntur etiam cum scelestis aut cum infamibus viris.... religionibus servientes.

Equidem desidero ante substantivum *religionibus* adiectivum *inpuris*; cf. VII 25, 20 cinaedos publicos faciunt (sc. Sol et Luna), omnium libidinum *inpuris* vitiis inplicatos.

---

1) Cf. etiam V 7, 5 Illic enim omnes tibi stellarum mixturas *verissimis* interpretationibus explicabo.

V 4, 20 Habebunt laetitiam ex uxoris affectibus et filiorum, sed priore dissensione sopita. Dirigentur etiam a potentioribus viris et regibus ad alicuius administrationis potestatem ⟨*ubi*⟩ constituti plurimis proderunt.

Verisimile est librarium *ubi* ante *constituti* praetermisisse.

V 6, 2 Si Luna in finibus Saturni fuerit inventa aut in decano suo, et sit plena luminibus, facit languidos frigidos et animo pariter et corpore, et qui ab omni sint audacia separati, habentes tamen ingenium ⟨*inbutum*⟩ temeritatis ardore, et quorum intestina frigidi humoris tormenta conficiant.

In lacuna, quam statuere malui post *ingenium* quam post *ardore* (id quod fecit editor), scripsi *inbutum* coll. VI 22, 16 Ingenium vero eorum multis disciplinarum studiis *inbuent*.

VI 10, 3 Si vero Mars superior effectus et dextrum possidens latus Iovem in inferiori loco ⟨constitutum⟩ quadrata radiatione respexerit, ista coniunctio *incensae* omnem impetum mentis exacuit, et faciet ⟨in⟩ omni vita vario errore peccare, et sine causa homines cogit magni laboris sustinere semper incommoda.

Levi mutatione usus pro tradita lectione *incensum* reposui *incensae*. Cum verbis *incensae omnem impetum mentis exacuit* comparanda sunt VI 30, 22 ut pro arbitrio eius (sc. oratoris) multitudinis *animi* aut quiescentes excitentur, aut *incensi* facile mitigentur.

VI 22, 13 Sic habentes Saturnum et Venerem nunquam filios aut tarde suscipiunt, sed hi ipsi erunt frigidi semper ad Venerem, et *inanis* eorum animus instabili semper varietate dissentit.

Quam facile integra vox *inanis* abierit in manuscriptorum lectionem *in manus*, nemo non videt.

VI 23, 6 Si Juppiter et Mercurius simul fuerint collocati, facient homines potentes, bona consilia ac bonos ⟨*animos*⟩ proferentes, magnificae orationis splendore fulgentes, ornatos omni sapientia e. q. s.

Cum verbo *consilia* iungendum esse censui *animos* prorsus secundum usum Firmicianum, cf. VIII 12, 3 Hoc signo (sc. Haedo)

oriente quicumque natus fuerit, erit *animo* vario semper *consilioque* sollicito, qui variis cogitationibus inplicatus numquam quietae securitatis gratia perfruatur.

VI 29, 21 Sed ⟨si⟩ sic posita Venus in matutino ortu fuerit inventa, in prima aetate constitutis infortunia viduitatis indicit. Si vero in vespertino ortu fuerit inventa.... aetate viduitatis decernuntur incommoda.

Puto primariam lectionem fuisse: *provectis aetate*, saepius certe Firmicus usurpat: uxor (mulier) *provectae aetatis* (VI 30, 6; 31, 10; 31, 43 cet.).

VI 30, 22 Talia etiam erunt eius dicta, ut haec ad augmentum et ad nutrimentum ingenii sui posteritas contentiosa animositate perdiscat. Talis orator apud ⟨*Athenienses*⟩ Macedonem Philippum non armorum vi sed orationis licentia persequebatur, et ut manifestius explicemus: haec genitura divinum Demostheni inspiravit ingenium.

Non facile Ziegler (cf. apparat. crit.) mihi probabit librarium *apud* exarasse pro *aliquando*, immo hic quoque, ut alibi, parum diligenter videtur scriba substantivo omittendo rem administravisse. Itaque supplevi *Athenienses*, verum possis etiam *Athenas*.

VIII 27, 9 In XXVIII. parte Sagittarii quicumque habuerint horoscopum, in desertis locis morientur. Si vero Mars in ipsa parte fuerit inventus, erunt oligochronii infelices, ⟨*qui*⟩ quidem plaga morientur.

Hic per haplographiam sumo librarium in errorem incidisse.

VIII 30, 4 In XI. parte Piscium quicumque habuerit horoscopum, in desertis locis a bestiis † *naturam* perdet, aut in humidis locis, aut certe in prima aetate biothanatus sine filiis peribit.

Hic gravius est locus corruptus, fortasse tamen non longe a veritate aberramus, si reponimus: in desertis locis a bestiis *inmatura morte vitam* perdet; cf. VII 3, 6 Si Mars et Saturnus in domibus suis constituti Solem et Lunam et horoscopum viderint, nec his benivolarum stellarum radius accedat, aut eicientur *inmaturi*, aut nati statim peribunt cet.

NOTULAE AD FIRMICI MATERNI
DE ERRORE PROFANARUM RELIGIONUM.

cap. 4 § 2 Videre est in ipsis templis cum publico gemitu miseranda ludibria, viros muliebria pati, et hanc *impuri* et inpudici corporis labem gloriosa ostentatione detegere.

Praestat nisi fallor edere *in*puri et *in*pudici, cf. Mathes. VIII 27, 2 erunt inpuri inpudici, VI 30, 15; VI 30, 16 omne vitium inpudicae inpuritatis cet.

cap. 27 § 3 Lignum diaboli ardet semper et moritur, et ad ima tartari credentes homines cum favillis suis ducit. § 4 Illud etiam quale sit ⟨*vera*⟩ ratione tractetur.

Addidi *vera,* cum ipse Firmicus scribat cap. 25 § 1 Cur deus id est filius dei homo passus est fieri, brevi ac *vera* pietati vestrae ratione monstrabitur; cf. Mathes. I 7, 36; VII 9, 10 mortem *veris* rationibus monstrat cet.

cap. 27 § 8 Pro salute hominum agni istius venerandus sanguis effunditur, ut sanctos suos filius dei profusione pretiosi sanguinis redimat, ut qui Christi sanguine liberantur, maiestate prius inmortalis sanguinis consecrentur. Neminem aput idola profusus sanguis invenit, et ne cruor pecodum miseros homines aut decipiat aut perdat, polluit sanguis iste non redemit, et per varios casus hominem *prendit* in morte.

Ut vox *redemit* haberet, quod sibi opponeretur, dedi *prendit* pro codicum scriptura *pre. it,* qua ratione simul optima clausula exstitit [1]).

---

1) Hic satis habeo commemorare hos locos similes: de err. prof. relig. II 9 gaude.... et proclama εὑρήκαμεν συγχαίρομεν, Senec. Apocol. 13 cum plausu procedunt cantantes: εὑρήκαμεν συγχαίρομεν; de err. prof. relig. XII 5 semina paene omnium scelerum a diis suis peccantium turba collegit, Plaut. Rud. 327 Is huc erum etiam ad prandium vocavit, sceleris semen; de err. prof. relig. XVI 2 perpetua continuatione flammarum, Arnob. V 8 saeculorum perpetua in continuatione; ibid. III 29 in continua serie perpetuitatis.

INDEX.

CAPUT I. Quintilianea.

CAPUT II. Frontoniana.

CAPUT III. Gelliana.

CAPUT IV. Ad Iustinum.

CAPUT V. Minuciana.

CAPUT VI. Arnobiana [1]).

1) Non ante ineuntem mensem Septembrem *Miscellis alteris* iam typis descriptis me Kistneri commentationem, cui titulus est *Arnobiana*, accepisse (bibliothecas Batavas frustra adii), vehementer doleo. Vidi autem nos aliquotiens certe idem fere disseruisse numquam eadem via atque ratione usos.

CAPUT VII. Firmiciana.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.